



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 5. Graves motus ob quamdam Benedicti XIII. Bullam exorti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

batem Lustracum die quinta Septem-
 bris consignarent. Hoc scriptum Fleu-
 rius quidem haud cunctanter recepit,
 Cancellarius vero illud oppositis ratio-
 nibus confutavit, ac mense Septembri
 per publicum edictum proscripsit. Præ-
 terea Rex solemnè edicto Parisiensi
 Universitati injunxit, ut rupta omni
 mora suas appellationes revocaret, &
 Medicinæ Facultatis Decanus mox con-
 signaret Indicem eorum, qui ex eadem
 facultate ad Generale Concilium ap-
 pellassent.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

§. V.

*Graves motus ob quamdam Bene-
 dicti XIII. Bullam exorti.*

Interim Benedictus XIII. Pontifex Be-
 neventum proficisci statuit, ut Ec-
 clesiam sibi prædilectam, quam qua-
 draginta duobus annis Archiepiscopus
 rexerat, & illius curam sibi adhuc re-
 servaverat, Pastoralibus officiis, &
 eximiis largitionibus pro viribus juva-
 ret: Obstiterant tamen huic profectio-
 ni ex Cardinalibus non pauci, qui haud
 temere verebantur, ne, si Pontifex
 gravi senio pressus, assiduisque morbis
 pene exhaustus Beneventi, vel etiam
 in itinere decederet, acris controversia
 excitaretur circa locum, ubi sacra Car-
 dina-

Guarnac.
 vita Be-
 ned. XIII.
 pag. 416.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

dinalium comitia pro novi Pontificis electione habenda essent. Verum Pontifex admodum providus hoc ipsum obstaculum penitus sustulit, edita Constitutione, qua decisum, quod si Papam, quo tempore Roma abesset, mori contingeret, hæc comitia Romæ haberentur, non vero, ubi Pontifex decederet. In hoc Benedictus sequebatur exemplum Clementis VII. qui cum Carolum V. Cæsareo diademate coronaturus Bononiam ivisset, similem hæc de re Constitutionem ediderat. Attamen gravior longe molestia Benedictum affecerat, dum Benevento Romam revertebatur: Res ita contigit, priusquam Pontifex sese itineri accinxerat, Acarambonio Auditori suo negotium dedit, ut ideam clam conficeret cujusdam Constitutionis, in qua cuncta Privilegia, quæ hæctenus Ordini FF. Prædicatorum indulta fuissent, confirmarentur, atque innovata, extensa, & declarata novis etiam indultis ac gratiis augerentur; non enim Pontifex erga hunc S. Ordinem, quem ipse olim ac etiamnum profitebatur, in dispensandis gratiis parcior esse voluit, quam eodem anno fuerat erga SS. Augustini & Francisci Religiosos, quorum privilegia pariter die prima Januarii & die prima Aprilis confirmaverat. Hoc

igitur

igitur negotium sibi demandatum Aca-
 rambonius tam occulte perfecit, ut ne
 ullus quidem illius cognitionem habe-
 ret, priusquam publicam lucem aspe-
 xisset: solus Pontifex Romam rever-
 sus Constitutionis ideam perlegit, tan-
 taque animi voluptate exceperit, ut Aca-
 rambonio in gratitudinis signum mox
 suum, quem in digito gestabat, annu-
 lum dono daret, majores adhuc sui af-
 fectus testificationes pollicitus.

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

Porro non minus religioso silentio
 tegebatur hujus Bullæ editio, qua de-
 mum absoluta Pontifex solemniter illius
 promulgationi diem primam Junii præ-
 fixit: Ast præter omnem expe-
 ctationem præpeditus fuit; ea res
 quippe suboluit Finio Pontificii
 Cubiculi Magistro, qui pro suo quem
 semper fovit affectu rem totam Jesuitis
 protinus aperuit. Hi ergo lethale vul-
 nus Moliniano systemati rursus infligi,
 haud temere suspicati, nocte, quæ quin-
 tam & sextam Junii diem intercedit,
 Purpuratos sibi devotos adeunt, & de
 opportunis, quibus hæc Bulla impe-
 diretur, mediis deliberari efflagitant:
 Conveniunt ergo uterque Albanus,
 Picus, Zondadarius & Salernus Cardi-
 nales, qui rem ad Purpuratos Cienfue-
 gos, Polignacum & Bentivolium deferen-
 dam censent, eo quod hi trium poten-

Hist. Eccles. Tom. LXXII. E e tiffi.

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

tissimorum Principum, Cæsaris, & Hispani ac Gallici Regum Ministri essent: Hi igitur ad Pontificis alloquium admitti petunt, sed repulsam ferunt, caussante Papa, se gravissimis obrutum esse negotiis, proin primum post octavam Corporis Christi diem alloqui copiam fore: Ex hac dilatione Cardinales haud temere conjectabant, Pontifici firmum fixumque esse, hanc Bullam interea temporis promulgare: quocirca ad Cardinalem Lercarium Papæ Administrum literas dabant, questi, quod Pontifex inscio Cardinalium Collegio rem moliretur, ex qua graves in Ecclesia tumultus pertimescendi essent, & præsertim Appellantibus caussa adjudicari, Molinistis vero suas opiniones docendi libertas hucusque concessa adimi videretur, ac denique Dominicanos, si hanc Bullam in usum deducere vellent, haud leves in variis Diæcesibus insultus passuros: His expositis rogabant, ut Pontifex hanc Constitutionem, quam quorundam *astutia a paterna ejus benevolentia extorsisset*, supprimeret, & quidem potissimum ea ex caussa, quia eorum Principes hanc Bullam in suis Regnis promulgari, nunquam permissuri essent, proin Pontificia auctoritas denuo cum Regia collideretur, & controversiæ jamjam ex-

ortæ

ortæ adeo non sopirentur, ut potius Sæc. XVIII.
 in apertas flammæ vehementius erup- A. C. 1727.
 turæ essent.

Præter hos insuper Cardinalis Bel-
 luga novæ huic Constitutioni sese op-
 posuit, non quidem Jesuitis patrocini-
 andi studio, sed ex alia, & quidem
 graviori causa: Hic enim non ita pri-
 dem ab Innocentio XIII. Bullam obti-
 nuerat, qua corruptelæ ex immodicis
 Regularium privilegiis enatæ aboleren-
 tur; ægerrime igitur ferebat eorum
 privilegia rursus non modo confirmari
 sed & augeri ab eodem Pontifice, qui ante
 biennium Bullam Innocentii XIII. ipse
 confirmaverat: Horum omnium oppo-
 sitio non levem Pontifici molestiam in-
 ferebat, & potissimum opinio jam
 eo abibat, Benedictum XIII. incusso
 metu vacillantem, a suis Clientibus
 importunius sollicitatum, aliorum au-
 xilio destitutum, sibi soli relictum tan-
 dem eo redactum iri, ut ipse hanc
 Bullam supprimeret, ne sibi gravius
 faceretur negotium. Ita quidem opi-
 nabantur non pauci; Benedictus vero
 ab æquitatis veritatisque semita rece-
 dere nescius, Constitutionem suam,
 qua doctrina de gratiæ efficacia solem-
 nius stabiliretur, promulgare statuit,
 & duntaxat indulget, ut ea S. Officii
 Patribus communicaretur, hique suas

Sæc. XVIII. A. C. 1727. proferrent rationes, si quid in hac Bulla immutandum crederent. Hi igitur, ut Pontificis mandato morem gererent, cuncta Bullæ verba mature ponderabant, cumque nihil, quod offensionem esse posset, deprehenderent, eam unacum aliis Cardinalibus approbant; solus tamen Cardinalis Hannibal Albanus in Paragrapho XLI. de doctrina Scholæ Thomiticæ hæc verba: *doctrinam ore Dei confirmatam* in illa immutavit: *doctrinam Crucifixi ore, uti pie creditur, confirmatam*: Resecuit quoque hæc verba: *aliasque cum ipsis in S. Thomæ schola intime connexas*, necnon illa: *testimonium reddentibus nobis ipsis Fratres Prædicatores inoffenso pede opera S. Thomæ decurrisse*: Cardinalis enim Polignacus hæc verba: *intime connexas* deleri petiit, caussatus, quod contra Aulæ Franciæ mentem duodecim Noailliani articuli his verbis confirmari viderentur. Facta horum mutatione Pontifex Bullam denuo prælo subjici, & bis mille illius exempla per Patrem Anduiarium Dominicanum ad Vaticanum Palatium deferri jussit; quin diem primam Junii, quæ in prima illius editione adjecta erat, immutari permetteret, quamvis hæc Constitutio primum ad initium Mensis Julii passim Romæ divulgaretur, applaudentibus cunctis

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

cunctis ferme Cardinalibus; non de-
erant tamen, qui adhucdum, nescio
quæ, in hac Constitutione suggillarent,
& quidem nonnulli inter ipsos Pontifi-
ces veluti *bellum Papale* suscitare mo-
liebantur, in vulgus spargentes, quod
nova hæc Benedicti Bulla, quæ inci-
pit: *Pretiosus in conspectu Domini &c.*
adversetur Clementis XI. Constitutio-
ni, cujus initium est ab his verbis *Uni-
genitus Dei Filius*. Verum Hannibal
Cardinalis Albanus mox horum ora
obstruit, solemnem declarationem, qua
ostendit, Benedicti mentem omnino
consonam esse sensui Clementis XI.
utrumque etiam Pontificem ad eun-
dem collimare finem, qui haud alius
esset, quam Thomistarum Doctrinam
pro vera & orthodoxa agnoscere, &
Jansenii errores damnare; Clementem
quidem duntaxat rejiciendo Jansenii
systemati instituisse, id exigente tempo-
ris ratione, Benedictum vero præcipue
Thomisticam doctrinam vindicare in-
tentum fuisse, eoquod turbidi ingenii
homines tunc hanc cum Jansenismo
confundere, malitiosius studerent: Præ-
ter hos Cardinalis Salernus quereba-
tur, in hac nova Bulla scientiam me-
diam a Pontifice damnari, necessarium
igitur fore, ut doctrina scholæ Moli-
nisticæ disertis verbis ibidem approba-

Ee 3 retur;

Sæc. XVIII retur; at idem Cardinalis Albanus
 A. C. 1727 post levem verborum contentionem
Salernum placavit.

§. VI.

*Benedicti XIII. Constitutio in FF.
 Prædicatorum favorem.*

Postquam igitur omnes, quæ huic
 Constitutioni opponerentur, diffi-
 cultates erant submotæ, ipsemet Pon-
 tifex illam die vigesima octava Junii
 supremo FF. Prædicatorum Magistro
 Generali consignavit, eamque ad cu-
 juslibet Cardinalis Palatium sequenti
 die deferri jussit: Ita tandem finita
 est hæc controversia, quam privatas
 opiniones tuendi ardor accendit, alie-
 næ gloriæ invidia propagavit, ac de-
 nique veritatis semper victricis potentia
 extinxit: Hos enim, qui tam per
 se, quam per suos huic Bullæ vehe-
 mentius obstiterant, non male habuit,
 quod Pontifex Dominicanorum æque
 ac aliorum Regularium privilegia in-
 novavit, atque auxerit; iniquissimo ta-
 men patiebantur animo, quod Bene-
 dictus amplissima, quibus ejus Præ-
 decessores doctrinam D. Thomæ cele-
 brabant, encomia nova Pontificii ora-
 culi commendatione confirmavit, nulla
 oppositæ doctrinæ mentione facta. Ea-
 pro-